PRAEPOSITUS GENERALIS

FRATRUM EXCALCEATORUM ORDINIS BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE DE MONTE CARMELO

EIUSDEMQUE S. MONTIS PRIOR

OMNIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM

Quum inter caetera privilegia sacrae nostrae Religioni a Sede Apostolica liberaliter concessa et perpetuis temporibus valitura per Breve fel. rec. Pauli V. *Cum certas* diei 30 octobris 1606 indulta sit Praeposito Generali Ordinis nostri, vel in ejus absentia Vicario Generali, facultas instituendi et erigendi Confraternitatem S. Scapularis sub invocatione **Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo** ubivis locorum extra Urbem, et communicandi omnes indulgentias et gratias praefatae Confraternitati concessas, Nos ad humiles preces Nobis porrectas inclinati, visisque litteris testimonialibus Illmi ac Revmi dioeceseos Ordinarii sub die 8 mensis Maji anni 191[illegible] accedente ejusdem consensu, auctoritate et vi praedicti Brevis, Confraternitatem Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo in Ecclesia Sanctimonialium O.N. sub titulo "of Our Lady of Guadalupe" in civitate "Grand Rapids" Dioecesis homonymae, tenore praesentium nostrarum litterarum erigimus et instituimus secundum Constitutionem fel. rec. Clementis VIII. *Quaecumque* d. d. 7 decembris 1604 et posteriores variationes a Sancta Sede inductas, dummodo in ipso vel in alio ad tria milliaria propinquo loco, alia ejusdem nominis Confraternitas legitime erecta non fuerit, vel Episcopus secundum Decretum S. C. I. d. d. 20 maji 1896 super lege distantiae rite dispensaverit. Decernimus autem ejusmodi Confraternitatem atque omnes utriusque sexus christifideles in eandem recipiendos omnibus indulgentiis et spiritualibus gratiis Confraternitati S. Scapularis Bmae Virginis Mariae de Monte Carmelo concessis potiri et gaudere posse; quae gratiae spirituales et indulgentiae singillatim descriptae habentur in summario, quod rite per S. C. I. recognitum et approbatum una cum his litteris tradimus diligenter adservandum.

Porro Superiori vel Parocho ejusmodi ecclesiae pro tempore, et in illorum defectu alteri sacerdoti confessario ab iisdem designando, concedimus facultatem parva Scapularia benedicendi et imponendi cum potestate impertiendi moribundis confratribus absolutionem generalem et indulgentiam plenariam, admonentes ne pro his quaestus aut lucrum sub quocumque titulo fiat; in defectu autem sacerdotis ad id deputati quilibet confessarius habet facultatem impertiendi absolutionem generalem cum indulgentia plenaria in articulo mortis (S. C. I. 27 aprilis 1887).

Volumus autem ut si conventus Ordinis nostri eo in loco vel ad distantiam trium milliarium fundari contigerit, haec Confraternitas a Nobis erecta transferatur cum omnibus suis bonis ad ecclesiam Ordinis, nisi Episcopus loci iudicet duas potius vel plures Confraternitates esse retinendas ad normam Decreti d. d. 20 maji 1896.

Obligationes communes confratribus praescriptae, sunt: *a*) ut recipiant S. Scapulare a sacerdote deputato et cum solitis caeremoniis; *b*) ut inscribantur eorum nomina in albo Confraternitatis; *c*) ut S. Scapulare die noctuque super humeros deferant. Praeterea pro consequendo *privilegio Sabbatino* opus est: *a*) ut servent castitatem secundum proprium statum; *b*) ut recitent officium parvum B. Mariae Virginis, nescientes vero legere servent jejunia Ecclesiae et se abstineant ab esu carnium diebus mercurii et sabbati, excepto die Natalis Domini, nisi ob justam causam ejusmodi obligationes in aliud pium opus ipsis commutatae fuerint a confessario ad normam facultatis quibuslibet confessariis concessae a S. C. I. sub die 14 iunii 1901.

Opera commendata. Enixe commendatur laudatis confratribus: *a*) ut integritate vitae et morum honestate digni efficiantur maternae protectionis et promissionum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo; *b*) ut singulis saltem mensibus et festivitatibus B. Mariae Virginis confessionem sacramentalem instituant et ad Sacram Synaxim accedant; *c*) ut ecclesiam vel capellam Sodalitii frequenter visitent; *d*) ut in una ex dominicis cuiusvis mensis processioni S. Scapularis intersint, et ubique hujus sacri habitus devotos se commonstrent.

Statuta. Statuta autem peculiaria, si quae fiant, porrigantur Episcopo loci, cuius erit ea examinare, moderari et approbare, nisi jam fuerint a Romano Pontifice confirmata (S. C. Ep. et Reg. d. d. 17 februarii 1605), vel indulgentiis ab eodem ditata (S. C. I. d. d. 12 maji 1843), vel agatur de statutis Confraternitatis non ad modum corporis organici in nostris ecclesiis erectae (S. C. I. d. d. 15 novembris 1905) — Eleemosynae excipiantur et erogentur juxta formam ab Ordinario praescribendam.

In quorum fidem dedimus praesentes litteras manu nostra et secretarii subscriptas, atque sigillo officii nostri munitas, ad arbitrium nostrum et successorum nostrorum duraturas.

Datum Romae ex Aedibus nostris Generalitiis die 10 mensis Junii anni 1917

Fr. Clemens a S. Sp. Praep. Gnlis

Fr. Elias a S. Ambrosio, Secretarius

ZELO ZELATUS SUM PRO DOMINO DEO EXERCITUUM

Romae, 1906 — Tip. E. Voghera

✠

J. M. J.

NOS FR. *Clemens a SS. Faustino et Jovita, Praepositus* GENERALIS
FRÁTRUM EXCALCEATORUM ORDINIS BMAE VIRGINIS MARIAE DE MONTE CARMELO
EJUSDEMQUE S. MONTIS PRIOR.

Quum per Bullas fel. rec. Nicolai V *Cum nulla fidelium*, die 7 octobris 1452, et Sixti IV *Dum attenta*, die 28 novembris 1476, indulta sit Superiori Generali Ordinis Carmelitarum, vel ejus Vicario, facultas, perpetuo valitura, erigendi ubique terrarum Tertium Ordinem saecularem Bmae V. Mariae de Monte Carmelo, et per Bullas Clementis VIII *Cum dudum*, die 23 martii 1594, et *Romanum Pontificem*, die 20 augusti 1603, extensa fuerit eadem facultas ad Praepositum Generalem Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, Nos acceptis precibus ut erigamus Congregationem nostri Tertii Ordinis saecularis in ecclesia *Sanctimonialium Ordinis Nostri* sub titulo *"of Our Lady of Guadalupe" in civitate "Grand Rapids" dioec. homonymae* et habito consensu Illmi ac Revmi Ordinarii loci, piis hujusmodi petitionibus libenter annuentes praesentium tenore potestatem facimus Rev. *Dno Capellano Sanctimonialium nostrarum Monasterii "Grand Rapids"* ut in praefata ecclesia **Tertium Ordinem saecularem Bmae Virginis Mariae de Monte Carmelo et S. Matris Theresiae a Jesu** in Congregationem nomine nostro erigat et titulo Directoris moderetur ad normam Manualis ejusmodi Tertii Ordinis a Ven. Definitorio Nostro Generali approbati.

In quorum fidem dedimus praesentes litteras manu nostra subscriptas atque sigillo officii nostri munitas.

Datum Romae ex Aedibus nostris Generalitiis die *10 junii 1917*

Fr. *Clemens a SS. F. et J. Praep. Gen.*

Fr. *Elias a S. Ambrosio, Secretarius*